

tibi vis faciam? qui utique sciebat visum ab eo expeti? Resp. primo, ut fidem ejus manifestaret cæteris in exemplum. Bona enim proximorum manifestanda, mala vero occultanda sunt.

Secundo, ut cæcus suam cæcitatem agnoscens et contestans agnosceret beneficium illuminationis a Christo mox accipiendum, suamque miseriam; atque ita gravior esset; alioquin vel ab iis, qui aderant et audierant de ingratitude arguendus. Nimirum sapientissimus Dominus sanationes corporum dirigere solebat ad sanitates animorum.

Tertio, ut Christum suam erga nos munificentiam et benefaciendi propensionem aperiret, dum quodammodo omnia offert, quidquid cæcus peteret, pro libitu ejus dandum, docens simul nos, ut non quæcumque et quomodocumque pauperibus largiamur, sed ea, quibus maxime egent, et ita benevole ac liberaliter ut nostra eleemosyna contenti esse possint.

Quarto, ut ostenderet quam sibi gratæ nobisque salutares sint nostræ preces, sine quibus non vult dare, saltem ordinarie; sunt enim illæ non solum impetratoriæ, verum etiam meritoriæ eorum honorum, quæ petuntur, et plurimum aliorum, quæ non petuntur.

Quinto, ut doceret, neminem se invitum velle salvare, nec absolvere a peccatis suis, qui ea non agnoscit, nec cum potest, aperit suo confessario. Sane leprosi in veteri lege non solum habitu externo lepram suam ostendere, verum insuper sordidos se clamare (voce utique) debebant, Levit. XIII. Unde ibi Chaldæus habet: *Clamabit: Non contaminemini, neque immundi sitis.* Ergo non satis est habitu peccatoris apparere coram sacerdote in tribunali confessionis, sed insuper etiam voce et verbis monstrandæ ei sordes; lepra enim veteris legis ejusque emundatio typus erat peccati et absolutionis sacerdotalis, quæ est in nova lege.

Sexto, ut sciremus cæcitatem corporalem non esse tantum malum, ut semper ab homine tolli debeat; siquidem ea multis profuit et pergrata fuit. Talis B. Petrus abbas Claravallensis, qui cum ex vi morbi unum oculum perdidisset, monoculus dixit: *Unum de inimicis evasi, et plus a residuo quam a perdito formido.* S. Aquilinus episcopus Ebroicensis cæcitatem a Deo petiit, quo melius cælestia contempleretur, et impetravit, et tamen episcopali munere in concionando egregie perfunctus, auctor vitæ; 19. octobris. S. Audomarus episcopus Teruani cæcus existens Atribati sub elevatione corporis S. Vedasti, meritis ejus lumen recepit; quod ægro animo eum ferret, rursus cæcitatem a Deo sibi postula-

vit et obtinuit; dicebat enim ad salutem suam a Deo sibi immissam fuisse, Sigibertus in chron. S. Herluca Bavara, cum adolescentula in corpore magis quam animo ornando esset studiosior, primum morbo, deinde cæcitate a Deo percussa, ad cor rediit, a vanitate ad sanetimoniam transiit. Monita deinde divinitus, ut orbem cereum ad S. Cyriaci m. tumulum pro altero oculorum recuperando votum mitteret, misit, recepit; tam acute ad ultima vitæ tempora vidit, ut aquilas et lynces superaret, nec eum ulla vi lacrymarum, quas uberrimas profundeabat, corrumpere, neque minutissima telæ acpictura hebetaret: altero tamen caruit semper, ne culpam utriusque olim amissi ex animo deleteret. Ita ex chronicis refert P. Gretserus, in appendice, Greg. VII. et Raderus, in viridar. part. III. cap. III.

Cum ergo oculorum cæcitas sæpe magis quam lumen prosit, noluit Dominus nisi rogatus cæcitatem mendici abstergere. Innumeri sunt, quos oculi male custoditi detrusere in infernum, qui si cæci fuissent, forent jam in cælo. Hinc in vitis patrum S. Antonius reprehendit cæcum quemdam Didymum nomine, in s. Scriptura cæteroqui versatissimum, quod de sua tristaretur cæcitate: « Miror, inquit, prudentem virum ejus rei dolere damno, quam formicæ et pulices habent; et non potius lætari illius possessione, quam soli sancti et apostoli meruerunt: multo enim melius est spiritu videre, quam carne, et illos oculos possidere, in quos festuca peccati non possit incidere, quam illos, qui solo visu per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennæ mittere. » Cordate et sapienter S. Pignenius Romanus presbyter cæcus occurrens Juliano imperat. apostatæ dicenti: *Gratias ago diis, o Pigneni, quod te video,* respondit: *Gratias ago Deo meo, quod te non video.* Tam igitur forti animo cæcitatem pertulit, quam tyrannum contempsit; factus deinde martyr videre cæpit, quæ oculus non vidit.

IX. Quid mystice notat hic cæcus? Respondet primo, S. Gregorius, hom. II. designare genus humanum lapsum in Adamo. « Cæcum quippe est genus humanum, quod in parente primo a paradisi gaudiis expulsum claritatem supernæ lucis ignorans damnationis suæ tenebras patitur: sed tamen per redemptoris sui præsentiam illuminatur: ut internæ lucis gaudia jam per desiderium videat, atque in via vitæ boni operis gressus ponat. Notandum vero est, quod cum Jesus Jericho appropinquare dicitur, cæcus illuminetur. Jericho quippe luna interpretatur: luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis

ponitur; quia dum menstruis momentis decrevit, defectum nostræ mortalitatis designat. Dum igitur conditor noster appropinquat Jericho, cæcus ad lumen rediit; quia dum divinitus defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus, quod lumen amiserat, recepit. Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur. Qui videlicet cæcus recte et juxta viam sedere, et mendicans esse describitur. Ipsa enim Veritas dicit: *Ego sum via.* Qui ergo æternæ lucis claritatem nescit, cæcus est; sed si jam in redemptorem credit, juxta viam sedet; si autem jam credit, sed ut æternam lucem recipiat, rogare dissimulat, atque a precibus cessat cæcus quidem juxta viam sedet, sed minime mendicat. Si vero et crediderit, et cæcitatem cordis sui cognoverit, sed ut lumen recipiat, postulat: juxta viam cæcus sedet et mendicat. »

Ex quadam Christi parabola scimus hominem lapsum descendisse ab Jerusalem in Jericho et incidisse in latrones. Nunc prope urbem Jerichuntinam invenit Christus hominem illum in hodierno cæco, et itinere converso a Jericho in Jerusalem ascendit ut eodem reducat hominem lapsum per passionem suam, unde ille excederat.

Resp. secundo, designare quemvis peccatorem; nam: *Quodammodo cæcus est* (ait Richardus Victorinus) *qui peccare non timet, quia futura mala non*

prævidet: non erubescit pravitatem suam, nec expavescit divinam potentiam, etc. Cæcus, licet gladii in ipsum distringantur, tigrides et leones incurrant, non timet, quia non videt.

Porro hic primo, sedet, quia in peccatis suis hæret et conquiescit, sedet, inquam, in cathedra pestilentie juxta id Psalm. I. *In cathedra pestilentie non sedet.*

Secundo, sedet is juxta viam; quia in hac vita, quæ via est non terminus, sedem ac quietem, seu manentem sibi civitatem quærit, vel sedet secus viam mandatorum Dei, quæ non observat.

Tertio, mendicat deinde a mundo obolos et frustella panum, hoc est, fluxa et vilissima bona, opes, honores, voluptates, quæ plerumque non nisi maximis precibus, servitiis, obsequiis et laboribus parantur.

Quarto, audit strepitum turbæ Christum comitantis, quia videt undique exempla piorum cum Christo ambulantium, quibus si non excitatur, non solum cæcus, sed et surdus est atque obstinatus.

Quinto, occasionem oblatam arripit, et Christum invocat non quomodocumque, sed ardentem, adhibito clamore, et perseveranter, non curans hominum minas. Quod utinam omnis peccator faceret, lumen absque dubio animæ suæ, gratiam, non difficile impetraturus.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

INANE STUDIUM EORUM, QUI HOC TEMPORE
SECTANTUR MUNDI GAUDIA.

- I. Quia lucrantur inane marsupium. — II. Laborem inanem. — III. Læsam et perturbatam conscientiam. — IV. Finem mœstum et funestum.

THEMA.

Quid tibi vis faciam? Domine ut videam. Luc. XVIII.

Sanctus Antoninus, II. p. sum. hist. tit. XVII. c. V. § III. refert S. Bernardum abbat. habuisse inter suos monachum, qui in sæculo fuerat lator et homo dissolutus, eumque maligno stimulatam spiritu redire ad sæculum petiisse. « Cum autem B. Bernardus eum retinere non posset, interrogavit eum unde victurus esset. Qui respondit: Ad taxillos ludere scio, et inde vivere potero. Et ille: Si tibi capitale commisero,

vis singulis annis ad me redire, et lucrum meum mecum dividere? Quod audiens gavisus est, et libenter se sic acturum promisit. Viginti quinque igitur solidos ei dare præcepit, et ille cum illis abiit. Hoc autem faciebat vir sanctus, ut eum iterum revocare posset, sicut postmodum factum est. Ille igitur abiens totum perdidit, et ad portam confusus monasterii rediit. Quo audito vir Dei lætus ad eum exivit, extenditque gremium, ut simul divideret lucrum. Cui ille: Nihil lucratus sum, pater, sed etiam capitali vestro nudatus sum: si vultis pro vestro capitali me recipere? Cui Bernardus benigne respondit: Si ita est, inquit, melius est ut te recipiam, quam simul utrumque perdam. » Ita Antoninus. Videntur huic lusori persimiles esse ii qui his diebus cum mundo et mundi sectatoribus sese oblectare, ludere, saltare, potitare, stultescere et insanire volunt. Petunt hi non eum cæco hodierno: *Domine ut videam,* sed cum lusore illo: *Dimitte me abire*

in mundum, ut personam inquam, et in ea ludam, saltem, potem, adeoque Baccho serviam. Stulti! Quid est quod petitis? *Nescitis quid petatis*, sed quoniam ita vultis, itote et post triduum istud, quidquid lucrati fueritis, mecum dividite. Video jam lucrum vestrum, quale nimirum retulit lusor ille ad Bernardum. Omnia perdetis, et magna confusione vestra ad crucem postremum iterum adrepetis. Imo vero lucrabimini, sed quid? Audite.

I. Inane marsupium profusis male nummis, in vestes, convivia, ludos, equos, pompas, etc. quibus vestire tot pauperes, et lucrari tot in caelo praemia poteratis. Xerxem Persarum regem ridet Aelian. l. II. var. *hist. c. XIV.* qui platanum proceram umbræ gratia amavit quasi amasiam suam, diem ibi commoratus cum exercitu suo, levis et brevis umbræ gratia, unde et multiplicem ac pretiosum ornatum chlamydem, annulorum, armillarum in ea suspendit, jure meritissimo ab omnibus deridendus. Quo enim finæ aut fructu hæc in arbore? Et arbore silvestri, infrugifera? Nihil plus sapiunt, qui in pompam stultitiæ plurima expendunt: in pretiosas vestes ad fictitias Faunorum, Nympharum, stultorum personas introducendas. Quo enim fructu tantæ impensæ ad fictitium unius diei spectaculum? Quanto utilius in arbores frugiferas, in pauperes, inquam, hæc expenderent, unde in articulo mortis et die retributionis fructum immensum sperare possent. Ibi Christus vestes illas indueret, ac caelestibus ostenderet, uti vestem S. Martini. Ibi pauperes eas producerent, et Deo ac mundo demonstrarent, sicut viduæ S. Petro vestes a Tabitha sibi factas et donatas. Quanto salubrius isti opes, vires, ingenium, non platanum umbrosæ, sed cruci affigerent ac dicarent?

Sed umbram tamen aliquam ad delectationem qualemcumque præbet illa platanus. O brevem et levem umbram! Procumbis miser sub arbore ut dormias sub umbra ejus. Sed post unam aut alteram horam umbra et fugit, et soli te urendum exponit. Unde surgis inflammato et dolente capite. Idem tibi continget sub hac voluptate, quæ instar hederæ illius, sub qua Jonas umbram captavit, uno die duravit: postea exaruit, et Jonam ardori solis exposuit, adeo ut præ æstu diceret: *Melius est mihi mori quam vivere*, Jon. IV. In Hebr. de hederâ illa dicitur: *Filia noctis erat, et filia noctis periit*, h. e. una nocte nata est, altera nocte periit. Quid non dico triduum, sed tota ista vita nisi dies una? Et quid sentient bacchanalistæ sub ista hederâ, cum evigilabunt, et in altero sæculo percutiuntur a sole justitiæ? Mortem utique sibi potius,

quam vitam optabunt: sed tunc fugiet mors a illis, et interim tamen semper vivent in morte.

II. Labor inanis et frustraneus, quo tempus pretiosum nullo fructu consumptum est. Qua de re Salomon, Sap. III. ait: *Vacua est spes illorum et labores sine fructu, et inutilia opera eorum.* Expertus loquitur. Unde Eccl. II. non semel detestatur labores suos, in quibus frustra sudaverat. Inter alia ibid. *Extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium.* In quem locum S. Ambr. l. de Isa. et anima, cap. IV. ait: « Sicut piscinæ nonnisi assiduo labore multoque sudore implentur, et eadem, qua implentur, die, ad hortos irrigandos exhauriuntur: ita profecto mortalium spes et desideria nonnisi multis exantlatis laboribus quandoque implentur, sed vix dum impleta sunt, exhauriuntur et omnino intereunt. » Sic nimirum miseri isti lusores lucrantur, et mox perdunt; implentur, et mox exhauriuntur; ingerunt, et mox egerunt. Labor eorum inanis quid nisi inanem mercedem promeretur? Quidam multo studio assecutus erat, ut nunquam fallente ictu per angustum foramen ciceris granum trajiceret. Id cum conspectu Alexandri M. præstitisset, atque ingens præmium aliquod expectaret, ciceris modio donatus est, ut haberet stultus quod jacularetur; sicque inane studium inani præmio damnare voluit Alexander, refert Tufo, c. III. Eccl. Hujus farinae sunt mundi sectatores, qui cum inania studia sectantur, donat illis Deus modium cicerum, h. e. bona fluxa et inania, opes, delicias, honores, favores, ut habeant quod trajiciant per os in ventrem suum, quibus tamen minime replentur aut safiantur; quia mittunt ea in canalem perforatum et cisternam dissipatam. Quid quod etiam labor inanis ob tempus male impensum, vires quoque ad laborandum datas male consumptas, meretur penam. Scimus militem illum, qui occiso, ut aiebat, Saule diadema ejus attulit Davidi, fausta se nuntiare existimans, non modo mercedem nullam pro labore suo accepisse, sed pœnas etiam dedisse, et maclatum esse, II. Reg. I. Idem sentient aliquando, qui laborant mundo cum mercedem pro labore expectabunt, verbera accipient. Quantum putamus obstupuisse hominem illum, cum sibi mortem denuntiari audiret, quando amplissimum præmium spe jam devoratum mente agitabat! Sic obstupescunt etiam operarii iniquitatis: *Videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur in subitatione in speratæ salutis; quam scilicet ipsi amiserunt, justi vero adepti sunt*, Sap. V.

III. Læsa et perturbata conscientia, pudore suffusa, et cor lancinans atque accusans. Quid lucrantur pisces post devoratum vermem, hamo affixum? Non aliud nisi unum eos retinentem simul et intestina lacerantem, quo ad mortem extrahuntur. Hinc Eccles. c. IX. ait: *Sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo.* Quodnam illud tempus malum, nisi dies isti, carnis libertati et omni malitiæ expositi, in quibus homines velut pisces in aquis ludunt, et quaquaversum vagabundi discunt sine lege et sine rege. Hamus ergo voluptatum certatim nunc arripiunt, sed quo lucro? Dicat Aug. « Gaudet piscis, inquit lib. de agone christiano, cap. VII. quando hamum non videns escam devorat, sed cum piscator eum adducere cœpit, viscera ejus torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt, et cum illo sibi vagantur. Veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint. » Novi ludionem per jucundum et facetum, qui in triduo hoc bacchanalium, Monachii, postea etiam anno 1613. in comitiis Ratisbonæ præserte Matthia imperat. proposuit in publico urnam fortunæ sortilegam, adornato abaco, variis armis, vestibus, vasis et similibus. Aderat multus populus, fortunæ urnam experturus. Sed o spes inanes! Qui immergebant manum in urnam, ut schedas extraherent, dum eas rimabantur, deprehenderunt ericium seu echinum, mille aculeis rigentem atque ferientem; a quo icti, et in manu dolorem, et in fronte ruborem, nil aliud extraxerunt: sic dum quisque dolorem suum dissimulabat, ne a circumstantibus rideretur, alii post alios ea sutela ludificabantur. Refert hoc etiam P. Georg. Steag. in labyrintho mundi, cap. VIII. Simili techna diabolus ludificat hoc tempore stultos et insanientes Bacchi alumnos: proponit illis nescio quas voluptates, lucra et vanitates: sed dum ipsi eas consecantur et captant, nihil aliud nisi echinum et conscientia vermem, stimulus et morsibus cor exagitantem, deprehendunt. Quo spectat id, quod de vastata Babylone prophetat Isa. c. XIII. *Respondent ibi ululæ in ædibus ejus (Babylonis) et Sirenes in delubris voluptatis.* Babylone, mundi perversi typum esse scimus: cujus cives inhabitatores sunt mundi sectatores. Quid vero in ipsis ululæ, nisi funesti gemitus et querelæ conscientia mordentis, eosque accusantis in secreto cordis? Idem indicant Sirenes, pro quibus Septuaginta interpretes vertunt, *ericii*. Ergo ubi prius Sirenes

canebant in delubris voluptatis, postea inveniuntur ericii, undique cor pungentes; et simul etiam pudor, quo suffundentur, ita ut seipsos ægre aspicere queant, quod sane patet in primis nostris parentibus, qui ubi manum in lignum velitum, quasi in urnam fortunæ injecerunt; quid nisi ericium et remorsum conscientia, junctum pudori ac dolori, deprehenderunt? Hinc enim timuerunt, seseque præ pudore inter arbores absconderunt, licet præter ipsos nemo in paradiso esset. Qui pudor magis crescit, cum admessa peccata in confessione explicanda sunt: sicut crevit in Adamo, quando e latebra evocatus prodire in conspectum Dei debuit. Tunc enim ait: *Timui eo quod nudus essem.* Quam ob causam multi graviora peccata reticent, et erubescunt, cum Adamo dicere, quod non erubuerunt coram Deo facere. Atque hoc est lucrum illud, de quo apost. ad Rom. VI. ait: *Quem fructum habuistis tunc in illis (peccatis) in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Ad Romanos jam conversos loquitur, qui dum adhuc gentiles essent, perpetua quasi bacchanalia agebant in luxu, ebrietate, libidine, omnique turpitudine, ob quam postea erubuerunt, ubi ad Christum conversi suæ stultitiæ recordati fuerunt. Quid non deliciarum præparavit sibi Salomon: *Feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, et quæ recenset in Eccl. c. II.* Sed quid tandem ex hac urna extraxit? Quid invenit? Nil nisi ericium undique aculeatum. *Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi*, inquit.

IV. Finis mœstus et funestus, in quem gaudia ista brevissima desinunt, juxta id Prov. XIV. *Extrema gaudii luctus occupat*, eo magis dirus et acerbus, quo magis præcedentia gaudia fuere suavia et jucunda; quo enim majus erat bonum, prius possessum, eo major sequitur dolor, quando est amissum, nunquam recuperandum. Mare Tiberiadis antiquitus vocabatur *mare Cenereth*, ut habetur Num. XXXIV. Deut. III. Jos. XIII. quia citharæ et testudinis (quod sonat cenereth) figuram referebat, uti notat Magalinus Jos. Porro hoc mare seu lacus Cenereth per Jordanis amœnissimi amnis fluxum desinit in mare mortuum et funestum, perditque dulces aquas suas in fœtidis illis et amaris. Quid omnia mundi gaudia nisi hujusmodi cithara et testudo? Ejus chordæ quid nisi quinque sensus? Pulsatio chordarum, oblectatio sensuum est. Citharæ hæc sonat, suaviter fluxit gratiose, sed quorsum? In mare mortuum et fœtidum. Hinc Isa. V. dicitur: *Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non*

*respaxistis. Quo vero ista terminantur? Propterea (ait post pauca) dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino: et descendit fortes, et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum. Triduo durant bacchanalia, et mox desinunt in tristem quadragesimam quadraginta dierum: mundi gaudia brevissima in aeternam desolationem et luctum. Quod vix ullum gaudium apud hominem sincerum perseverat tres dies? Aiunt Græcos mortuis juxta ter persolvere: (in Crusii Turcogræcia) die tertia, nona, quadragesima. Tertia quod mortuus die tertia immutatus, agnitione faciei amissa: nona, quod nono die totum corpus diffuit præter cor: quadragesima, quod quadragesimo die ipsum cor quoque perit. Ita gaudia humana vana et sæcularia durant quasi ad unum triduum, et habent triplices exequias. Tertio die statim vultum mutant et saturant; nono in nauseam et molestiam vertuntur; quadragesimo cor, hoc est, amor etiam illorum perit et in luctum desinit. Quis tam inconstantia et fugacia gaudia quaerat? Maximam Jobo afflictionem ferebat nuntius ille, quoties reversus nuntiabat ei cladem aliquam acceptam, asserens omnia periisse, boves et asinos, oves, camelos, liberos denique, se solum aiebat evasisse, Job. I. Quis vero iste, qui evasit solus, nisi funesta recordatio præteritorum gaudiorum? Omnia enim pereunt, sola habitorum bonorum memoria remanet, quæ spoliato jam possessori triste nuntium affert, omnia extincta esse, citharam in luctum versam esse. Hoc tam triste nuntium et funestum lucrum attulit ille nuntius Henrico VIII. Angliæ regi pessimo et schismatico, postquam suam libidinem et furorem in Ecclesiam explevit, quando jam in extremis constitutis et desperata vita ac salute, pateram vini accipiens præbuit suis proceribus dicens: *Amici omnia perdidimus. Ut refert Florim. l. VI. hæres. Omnia enim perdidit, Ecclesiæ communionem, uxores, liberos, honorem et famam, opes et ærarium, regnum, vitam, gratiam, gloriam. O lusorem infelicem! Et funestum lucrum! Quanto melius sapiunt, qui in fausto hoc ludo abstinent, et in sinu gratiæ divinæ quiescentes, serviunt Deo! Ergo ne et nobis aliquando hoc contingat, ut dicere cogamur: Omnia perdidimus, abstineamus, quaeso, a periculoso ludo, quem hoc tempore ludunt, qui Christo illudunt: ne alioquin illudamur in iudicii die coram toto mundo.**

CONCIO II.

MUNDUS PIETATI PER HOS DIES OBSTREPENS, NON AUDIENDUS.

Non audiendi, qui nunc obstrepunt pietati. — I. Quia fere sunt sex populi. — II. Quia Christo tergum vertunt. — III. Quia in Jericho, ad stultitiæ lunam eunt, et vocant. — IV. Quia conantur nos abstrahere a lumine gloriæ.

THEMA.

Qui præbiant, increpabant eum, ut taceret.

Luc. XVIII.

Notum est litteratis, quod poetæ scribunt aut fingunt, de Ulysse duce, prætervectum aliquando Sirenum insulam, ne illarum cantu cum sociis illectus et attractus periret, excogitasse hoc stratagemam, ut sociorum aures cera obturaret, is vero ab eis ad malum navis erectus alligaretur. Periculosum tempus est hoc triduum, quo pessimæ Sirenes suavi suo cantu homines illicere et decipere, adeoque in abyssum mergere laborant. Quare auditores nobis attendendum, et aures obturandæ sunt: quod docemur in hodierno evangelio vel ab homine cæco, qui cum audisset Jesum pertransire, clamans invocare cœpit; cumque Sirenes aliquæ ipsi obstreperent, ut taceret, ipse obturatis suis auribus multo fortius clamavit. Quid aliud nunc mundus agit, quam quod is ogganuit, qui hoc tempore Deo vacare, et animæ suæ salutem quaerere desiderant? Itaque his Sirenibus aures ocludendæ sunt; sed qua cera? Docebit nos hodiernum evangelium, ut videbimus.

Quatuor causas considerare possumus, ob quas jure merito cæcus neglexit ac sprevit objurgatores suos.

I. Quia non Christus, nec discipuli ejus, nec honestiores viri, sed turba tantum erat, quæ increpabat cæcum, teste Matth. c. XX. *Turba autem increpabat eos; cæcos videlicet (duos enim ille ponit). Si interrogemus, quoniam per has dies obstrepant pietati, per insanias suas deprehendimus non esse nisi turbam et vilissimos de plebe homunciones, neminem honestum. At quis nescit turbam seu plebem plerumque delirare, raro bene consulere? Antiquum Pythagoræ pronuntiatum est: Per viam publicam non eundem. Dei quoque mandatum erat Exod. XXIII. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ. Quid enim turba nisi errare et delirare novit? Nonne ea, quæ plures eunt, via lata est, quæ ducit ad perditionem? Neque refert, quod multi et plures forte sint, qui hoc tempore insaniunt; quis enim tam*

stultus esse volet, uti Radbodus ille Frisonum pedem habens, interrogansque episcopum Sanctum Wulfranum, ubinam majorem suorum antecessorum numerum, in paradiso, an in inferno esse putaret: illoque respondente, in inferno, quod fide caruissent, pedem retraxit, dicens, eo se proficisci velle, ubi sui majores essent, malleque eos, qui plures essent, quam pauciores sequi. Ludificatus autem a dæmone illusoria visione, post triduum subita et æterna morte perit, Sigebertus in chron. Bergomensi, anno 729. Stulto huic simillimi sunt, qui in rebus malis turbam sequuntur et multitudinem. Sapientes contra, qui legem Dei et paucos in ea ambulantes. Misit aliquando Achab rex eunuchum, servum suum, ad Michæam prophetam, consultum an pergere ad bellum deberet, III. Reg. XXII. eunuchum ergo ad Michæam: *Ecce sermones prophetarum* (quadringentorum, sed revera pseudoprophetarum vilissimorum) *ore uno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, et loquere bona*, quasi dicat: Loquere regi placentia. Verum non attendit Michæas ad multitudinem prophetarum, sed: *Vidit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.* Itaque infausta atque ingrata regi prædixit, quæ et evenerunt. Multi nonne eunuchi tales, qui turbam esse sequendam suadent, tametsi deviantem ac mentientem. Quid tu hoc tempore vis orare, confiteri, tristari, quo omnes alii bacchantur et lætantur? Sis ergo similis eorum, et insani cum insanis, lurare cum lurconibus. At tu Christiane si sapis, sequere Deum, et quodcumque dixerit Dominus, hoc fac, quia regula nostrorum morum non est vulgi opinio, sed lex Dei. Unde Tertullianus, l. de veland. virgin. c. I. ait: *Dominus noster Jesus Christus veritatem se, non consuetudinem nominavit.* Mundus non erit iudex noster, sed Christus. Turba illa quæ præbat, lumen dare cæco non poterat, unde nec audiri ab eo merebatur. Christus ei mederi poterat: hujus igitur mandatum jure expectabat.

II. Quia præbiant Christum, pone sequentem, adeoque ipsi Christum, minime auferebant. Secus fuisset, si, qui sequebantur Christum cæcum increpassent; hi enim quasi abstulissent ei Christum, et aditum ad eundem interclusissent. Pari ratione, non est quod audiunt pii mundum his diebus insanientem, quia his non sequitur Christum, sed præit, tergumque ei vertit. Sic enim Ezech. VIII. monstravit Deus Ezechieli impias eo iudicio, quod dorsa haberent contra templum Domini et arcem. Qui vero tales sunt,

nequaquam audiendi, sed fugiendi et spernendi sunt; tametsi forte dignitate, nobilitate, opibus alios omnes præcedant, uti monet Eccles. c. XII. *Noli magnificare hominem peccatorem divitem.* Si enim Christi sectator non est, pauper et nullus est; quia coram Deo abjectus est. Nemo unquam magnificavit viperam aut scorpionem, quia aureo vel crystallino scrinio inclusus est? Sic neque improbi magnificandi sunt, tametsi auro et honoribus inclusi coruscant. Cuncti servi regis Assueri adorabant Amanem, divinos ei honores impendendo, et quidem ex mandato regis: solus Mardoehæus non adoravit, neque genua flexit, Esth. III. Non movit eum exemplum et increpatio aulicorum, nec mandatum regis, quia vidit rem sacrilegam a sacrilego postulari, divinum scilicet honorem. Chaldæus asserit Amanem habuisse in veste sua depictas deorum inanum imagines, jure igitur a Deo despectum fuisse. Quid his diebus gerant mundani, nisi stultissimorum et vanissimorum deorum imagines, Bacchi, Veneris, Martis? Quis ergo illos non contemnat? Sequantur mundum, adorent mundum, qui de mundo sunt, qui mundo serviunt: at qui de mundo non sunt, sed Deum colunt, aversentur impios, nec curent increpantes se ac dicentes: Tu solus non adoras? Qui enim Deo serviunt, non ad initia, sed ad finem attendunt. Initium et decursus vitæ Amanis gloriosus fuit, sed finis turpissimus, cum in altissimo patibulo suspensus, et quidem suggestione eorum, qui prius ipsum adoraverant. Quam putatis confusi postea fuerunt aulici, quando viderunt eum, quem numinis instar coluerunt, pendere in patibulo! Sic tandem confundentur omnes, qui mundum adorant et sequuntur. Venit aliquando Joram impius rex Israel, filius Achabi, cum Josaphato rege Juda ad prophetam Elisæum consilium petiturus. Cum Elisæus contempnim: *Vade ad prophetas patris tui et matris tuæ*, hoc est, ad pseudoprophetas tuos, quos audis. Et mox: *Vivit Dominus: quod si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem*, IV. Reg. III. Ecce Elisæus regem impium nec aspectu vult dignari nec attendere. Et cur servi Dei curent vilissimos servos dæmonis?

III. Quia in Jericho ibant. Jericho lunam significat, quia illa civitas formam habebat lunæ, ut ait Corn. a Lap. Matth. XX. y. XIX. Luna autem ob suam mutabilitatem stultitiæ typus est, teste Eccles. c. XXVII. *Stultus ut luna mutatur.* Nemo facile se pro stulto haberi et traduci patitur. Durum est studiosis, quando deponendis ut aiunt, cornibus per unam horam aut